...egorz Joannes

...owski Pauli Epidesmion

EPIDESMION

Admodum Reuerendo Domino

GREGORIO IOANNI ZDZIE-
WOYSKI *à Lasko*; CONCIONATORI OSWIE-
CIMENSI ORDINARIO, ARTIUM MAGI-
ſtro, Philoſophiæ Doctori, Notario Sacra
Authoritate Apoſtolica publico; amo-
ris ergo oblatum.



A PAULO KWIATKOWSKI, *Præpoſito Eccleſiæ San-
cti* JOANNIS *Crac: Artium Magiſtro, Philoſoph: Doct:
& Profeſſore in Alma Academ: Cracouien.*

Anno Dom. 1639.

SYNCHARMA.

NAtali redeunte tuo, felicibus astris:
Ephebo ad incunabula:
Gaudia, quî plaususq; tibi testábor amico?
Meus GREGORI Candide.
Pignora quæq; feram? gemmâ pretiosior omni,
Auroq; caro carior.
Vnice ZDZIEWOYSKI Magnes Adamasq; meorum:
Fidelium sodalium.
Qui magè quàm Magnes ferrum, atq; potentiùs ad Te
Trahis meum cor Gratijs.
Pro votis cunctis, cunctisq; monilibus: vnum
Precor tibi. Renascere.
Jn vitaq; tuâ, multis longæuus in annis,
Puer velut viue innocens.
Amplius haûd quidquam, possum meliusq; precari,
In Luce Natali tibi.
Consule vota boni. & pro summis accipe donis;
Amans amantis gaudia.
Quasq; tibi propero Charites cum carmine dulci,
Amice dulcis percipe.

ODE.

CÆlo sydera flammeo coruſcant,
Ante ceû rarò rutilare viſa!
Quæ noua Lasko
Gaudia ſunt hæc?
Aurora extulit os nimis venuſtum,
Aureus Titan magè pulchriori,
Clarior auro,
Fronte ſerenat.
Terris lux noua Laſcijs oborta eſt,
Quæ polum ſtellis magis ornat ipſis,
Plaudite Laſcîj,
Plaudite Ciues.
Cunas ſternite floribus puelli,
Nunc recens nato puero innocenti,
Cuius origo, à
Sanguine Zdziewoy.
Cryſtallo magè candicante candet,
Splendido longè micat atq; vitro,
Purior auro,
Pulchrior oſtro.
Muſæ Laſciades chely puello,
Aureâ lætum reſonate carmen,
Io ter, & ter
Dicite Pæan.
Triginta duo luſtra poſt; nouenus
A Deo nato celer inſtat Annus,
Lux ſacra Marti,
Dena refulget.

Sol Natalis adeſt Gregorianus,
Zdziewoy Natalis adeſt. it Annus.
Io ter, vltra
Io canamus.
IACOB nobile germen ille Zdziewôy,
Orta de Buczko Catharis parenſq;
Sanguine vterq; &
Nomine Clari.
Natum quem genuêre ſtirpe clarâ,
Cælitûm ſummo Superûm Tonanti,
Et Dominæ Orbis,
Tradere gaudent.
Felix Puſio, ter Puelle felix,
Cuî DEVS Tutor, Cui Virgo Mater.
Dux & Aſylum,
Quæritur axe.
Nunquam Te mala ſæua dira tangent,
Irruant quamuis; ferient nec angent.
Tutus áb omni,
Clade manebis.
Et creſces Puer inclyto decore,
Magnus immenſis titulis honorum,
Omine creſces;
Nomine creſces.
Diui Cælitis haûd inane nomen,
Eſt datum cælo tibi? Vendicabis
Magna Patroni,
Facta Gregorîj.
Exemplo illius arduos Olympi,
Nixus ad laudem ſuperabis axes,

Atq; labore,
Sydera ſcandes.
Quorſum aſt omina dem tibi puello?
Non puer. Sed vir meus es Gregori,
Omine non iam, at
Nomine clares.
Palmis Pallados inclytæ venuſtus,
Doctor inſignis Sophiæ, & Magiſter
Artium haberis,
Clarus vbiq;.
Ceſſerunt tibi Sceptra cum Cathedris,
Cum Scholis ceſſêre tibi. tot vni
Agmina paſſim
Lecta Iuuentæ.
Ceſſerunt Academiæ Parentis,
Alta Doctorum Sophiæ docentûm,
Pulpita doctis,
Sacra Magiſtris.
Ceſſere Eccleſijs loca eminentiâ,
Et tot exedræ? quibus alta cæli,
Ore diſerto,
Dogmata pandis.
Ac torrens velut impetu pruinæ,
Montibus celſis radio ſolutæ,
Gurgite magno,
Obuia raptat.
Sic Oracula Tu tonans Tonantis,
Oris flumine ſuauè diffluenti,
Corda hominū ardēs
Vi rapis vltro.

Accensos animos amore Diuûm,
Quoq; vis flectis. Tibi duriora,
Cautibus asprîs,
Pectora cedunt.
Afflatus Zephyro benigniore,
Spiritus sancti: Sacra quæq; spiras,
Saxa facisq;
Vt liquefiant.
Deserto sterili velutq; Moyses,
E petris fluat humor vt perennis,
Eloquij vi,
Efficis idem.
Saxis durior vsq; sit vel ipsis,
Quisq; peccator: scopulisq; sæuis,
Aût chalybe ipso,
Sit magè durus.
Pectus scinditur, audiens loquentem
Te Dei Mysten, pauet & medullis
Flens; sua damnat,
Crimina vitæ.
Jncunabula prima flore primo,
Lascijs linguæ tua consecrâsti,
Non sine magno
Fructu animarum.
Vrbe mox Craci, Solioq; Regni,
Ædibus sacris: tonuêre passim
Ora tua, Alti
Iussa Tonantis.
Audiuit tua, dedicata Diuo
Ara JOANNI tonitru verenda.

Plùs ma-

Plùs magè verba,
Plùs veneranda.
Audiuêre alij, tuas Suaues
Cælites Suadas : Genitrix Parentis
Virginis, & Te
Audijt ipsa.
Doctorum iu medio satis disertè,
Rebus in sacris populum docentem,
Audijt omnis
Turba Magistrûm.
Plausêrunt tibi CRACIÆ Camœnæ,
Suauè dicenti Nouodworscianæ,
Et sua Musæ,
Serta dederunt.
Jnde Nicoleos, iubar perenne
LANCKORONORVM : cui nostra non est,
Carmine Musa
Par, celebrando.
Summis nominibus Comes celebris
Jn Korozwęki. Cui summa virtus,
Conciliauit
Regis amores.
Secretarius vt foretque Regis,
Regio amplexu fieretque dignus,
Vis meritorum
Præstitit ipsi.
Et Diuis pietas par, aût secunda:
Jpsius zelo populum fidelem,
Contulit vltro
Vsq; regendum.
Fasces

Fasces Oswiecimi Parhæcianos.
Ad manus tradens, decus atq; summũ
Præpositurę ad-
ièċit eidem.
Hic tantus Vir, hic ipse tantus Heros,
In partes vocat ecce te laborum,
Auxiliêre, vt
Pastor Ouili.
Vt Doctor doceas Dei popellum,
Ductor & ducas Patriam ad supremã,
Dogmate, vitâ,
Præuius olli.
Hebræo profugo freto rubenti,
Fluctibus Moses medijs vt olim,
Præijt, aût vt
Alter Aaron.
Orantem grauiter stupet Silesus,
Sis quis? Auditor rogat & Bohemus,
Te sibi quisque
Jndice monstrat.
Doctrinæ eloquio doces fideles,
Exemplo instruis idem & infideles,
Dogmata firmas,
Moribus almis.
Perge crescere, perge mi Gregori,
Innocens vitæ, tenero puello,
Innocuus plùs,
Integritate.
Perge crescere, Sanctitate, vitæ,
Perge & exemplo, meritisq; magnis,
Ecclesiæ

Ecclesiæ almæ,
Crescere Mystes.
Ad fastigia Te tui Patroni
Euehas altùm, rigido labore.
Quo terere acer,
Pro Dei honore.
Nec dormi : Puer vt solet tenellis
Fascijs strictus. Vigila sed acris,
Perpete curâ
Pro grege Christi.
Donec venerit hora certa somni,
Tempus & iustæ in Domino quietis;
Ne capiare
Munere somni.
Ne zizania dormiente Te fors,
Patris æterni familiâs, acerbus
Hostis Olympi,
Seminet agris.
Quando lumina morte sempiterna,
Mors tibi claudet meus ô Gregori,
Seû citò, siue
Seriùs instet.
Olim somnia sempiterna duces,
Cum sinu dulci Superûm Tonantis,
Perpete somno
Dulcè quiesces.
Curarum immemor ampliùs tuarum,
Dormies dulci gremio per æuum.
Nunc vigilato,
Irrequietus.

Pro caro pretio populis redemptis,
Pro Dei ſummo vigiles honore,
Proq; Tonantis
Nomine Matris.
Curis excitus in dies, & horas
Singulas: Myſtes vigilato ſemper,
Et memor eſto
Excubiarum.
Dormies olim placidâ quiete,
Perpeti ſomno. Tibi quando Parcæ,
Stamina vitæ
Pollice rumpent.
Rumpant nolo ſed, ante fila vitæ,
Heû tibi ſæuæ nimium Sorores.
Quàm tibi centum
Sæcula currant.
Rumpant nolo tibi, ſecentq; vitam,
Filiæ mortis: priùs ipſe vitam,
Quàm merearis
Fine carentem.
Et centum tibi compares coronas,
Mille centenas cumuleſq; palmas,
Meſſor agelli,
Cælitis olim.
Sed quò me rapis? & chelym ſonantē
Phœbe quò ducis? mea plectra tanto,
Imparia eſſe
Sentio Myſtâ.
Divi Cælicolæ fauete cælo,
Sanguini Zdziewoy: Superūq; Regē,
Flectite

Flectite voto,
Supplice pro Se.
Viuat sæcula, lustra viuat annos
Plurimos Mystes: sine nube viuat,
Sæcula centum,
Lustraq; centum.
Doctorum Ecclesiæ iubar GREGORI,
Flaminis plenus tuus ô Gregorius,
Fac age tecum
Spiret Olympum.
Toto pectore rebus à caducis,
Eleuet mentem, caleat Tonantem,
Flaminis atq;
Ardeat ignes.
Nam totus tuus hic! Tibi dicatus:
Et tuæ curæ puer est sacratus,
Fac age, semper
Hunc tueare.
Et tu Prodrome Lucifer Tonantis,
Diue Baptista, tuba viua Christi,
Sera parentum,
Inclyta proles.
Cælo porrige fac tuo JOANNI,
Dexterã & zelum Superũm Tonantis,
Ipsius alto,
Jungere cordi.
Authorem ardeat vt Deum perennè,
Zelet & semper populi salutem,
Flamine cæli, &
Numine plenus.

 Teve-

Te verò quibus alloquar modis: ô
Virgo, cui cælo decus omne cedit,
Et cui plantas,
Cynthia lambit.
Myſtæ Virgo tuo, quod optat vſq;
A tuo impetra Genito. Tuis nam
Nutibus ille
Omnia præſtat.
Et fac præſtiteris tuo JOANNI,
Diua te Matrem: cui filium ſe ipſe
In cruce Chriſtus,
Tradidit olim.
Vltra nil precor, haûd enim precari
Quid queam maîus? Tibi Virgo, Mater:
Virginis & tu
Filius eſto.
Sic felix ſatis, & ſatis beatus,
Sic ſuper felix, ſuper & beatus.
Hîc, & in axe,
Sæcula viues.

CRACOVIÆ,

In Officina Typographica Staniſlai Bertutowic, Anno Domini 1639.